



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 204. Joan. Franc. Blandratæ Card. mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII. tulo Sancti Marcelli cooptabat. Nova
A C. 1605. hac dignitate clarus Æmilius intima
 quæque negotia suæ curæ commissa in-
 signi prorsus prudentia ac fide expedi-
 bat. Rexit quoque Faliscorum Eccle-
 siam, ab ipso summo Pontifice consecra-
 tus: postea Congregationi Concilii Tri-
 dentini præfectus, ut erat placidus in-
 genio, & natura beneficus, tantam
 benevolentiam conciliabat, ut defuncto
 Clemente VIII. Cardinales eum Ponti-
 ficia Thiara dignissimum *conferent*,
 prout ipsemet Cardinalis Perronius ad
 Henricum IV. Franciæ Regem perscri-
 pserat: cum autem Medicorum iudi-
 cio vix tres Menses supervicturus cre-
 deretur, non tam spe, quam obtinen-
 dæ hujus dignitatis metu solutus pau-
 lopost Clementis VIII. obitum anno æ-
 tatis suæ quinquagesimo primo meritis
 ac nominis fama celebris obdormivit in
 Domino, sepultus in Ecclesia sui Tituli.

§. CCIV.

*Joannes Franciscus Blandrata Car-
 dinalis mortuus.*

Petramell. Postremus erat Joannes Franciscus ex
in elog. Sancti Georgii & Blandratæ Co-
Franc. Aug. mitibus Casali anno Incarnationis Do-
ab Eccles. minicæ millesimo quingentesimo qua-
in Hist. Pe- dragesimo quinto natus. Hic in patet
dem. Ciacon. l. c. na.

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

na domo liberalibus disciplinis ac Jurisprudencia excultus haud diutius vastam ingenii sui vim domesticis larium angustiis includi patiebatur, ad altiora scilicet indole eum trahente, peregrinasque, nescio quas, gloriæ ac meriti spes eminus ostentante. Detestatus itaque segnis otii torporem inexpertum, in ipso ætatis flore Romam se contulit, Pio V. Pontifici sua oblaturus obsequia, a quo etiam primo utriusque Signaturæ Referendarius, postea cum Cardinali Alexandrino legato ad Hispaniæ, Lusitaniæ & Galliarum Reges pro rebus Sacri foederis missus summo in pertractandis negotiis adjumento eidem exstitit: Postea a Gregorio XIII. pluribus Præfecturis ornatus, ac ipsius Almamæ urbis Gubernator renuntiatus a Sixto V. Aquensem Episcopatum obtinuit, cui Ecclesiæ summo gregis sui proventu aliquot annos præfuit. Rexit quoque Abbas Cænobium Ripaltense: Electo autem Clemente VIII. cui Francisci merita proprio experimento comprobata erant, Cardinalis tit. Sancti Clementis renuntiatur, paulopost iterato legatus *de latere*, ut vocant, decretus: Enimvero in primæva Ecclesia hoc nomine duntaxat indicabatur omnis ille vel Clericus vel Episcopus, quem Papa *nomine suo* absque ullo ritu in quo-

A a a 3 vis

Sæc. XVII vis negotio sibi commisso ad quempiam
 A. C. 1605 ablegabat: hodie autem, elevata Car-
 dinalium dignitate supra Episcopalem
 hic titulus non nisi Purpuratis tribuitur
 significatque Legatum non modo a Papa
simpliciter, ut ita dicam, sed cum au-
 thoritate, potestate, jurisdictione ac
 Cruce sibi in muneris sui signum præ-
 lata ad coronatos Principes deputatum.
 Cæterum hujus dignitatis splendor ad-
 eo non ullum inanis superbiæ fu-
 mum Francisco nostro excitabat, ut po-
 tius novum ad graviora ferenda onera
 calcar adderet; quippe Ferroniensem
 civitatem reliquo Pontificatus Clemen-
 tis tempore haud minori molestia, quam
 industria, prudentia, nominisque sui
 gloria regere jubebatur: demum qua-
 tuor ante annos Abbas Caramanæ e-
 lectus die decima sexta Aprilis anno
 post Virginis partum millesimo sexcen-
 tesimo tertio, relicta Aquensi, Faventi-
 nam Ecclesiam administrandam suscep-
 pit, in eaque sibi suisque Successoribus
 marmoreum tumulum paravit, in quo
 etiam *Lucæ* sepultus requiescit; quippe
 curandæ valetudinis causa Lucam Ita-
 liæ Rempubicam profectus ibidem die
 decima nona Julii ætatis suæ anno se-
 xagesimo primo mortalitatem exiit,
 relicta prius pauperibus, suæque Ec-
 clesiae potissima bonorum parte.

§. CCV.